

non conuenit. Prius si accidit, ideo, quia ex voluntate contendendum fit, solet voluntaria dici <sup>c)</sup>, cuius saepe fit mentio in libris nostris, licet nomen, in scholis inuentum, in iisdem non occurrat <sup>d)</sup>. Sin vero non vtraque pars consentiat in sequestrationem, et nihilominus ea perfici debeat, vis adhibenda erit, quae quum efficiat, vt sequestrum procedat inuita alterutra parte et renitente, adeoque necessario, potest generali nomine necessaria dici. Sed quaenam illa vis est, qua haec perficitur? In promptu est, quid respondendum fit, scilicet esse distinctionem adhibendam, vtrum in statu naturali absoluto considerentur contendentes, an in statu ciuili. In statu naturali, quum iudex non sit, qui adatur, dicendum erit, vim priuatam esse adhibendam ab eo, qui vult sequestrationem fieri, eamque ideo puto adpellari posse: necessariam sequestrationem naturalem seu Iuris naturalis, quam quidem speciem miror a doctissimo et clarissimo WOLFFIO <sup>e)</sup> esse praetermissam, qui tamen locum illum de sequestratione, quod multi fecerunt, in tradendo Iure naturae et gentium non plane omisit. Sed extra statum illum naturalem, ordinatisque rebus publicis, et descriptis in ciuitates hominibus, quum nihil magis repugnet, quam vt vi priuata inter se et armis certent ciues <sup>f)</sup>, eius auxilium implorari

F 2

debet,

c) Multa alia nomina, quibus adpellatur, vna cum doctoribus, quorum auctoritate illa nituntur, recenset CLVDIVS c. 3. n. 3, et 13.  
 d) Sermo est de hac sequestratione v. c. in c. licet deponere 17. D. depositi. et in c. interesse puto 39. D. de adquirenda vel amittenda possess.  
 e) in Institut. iur. nat. et gent. Part. 2. e. 11. §. 548.  
 f) in quam rem eleganter IULIANVS dixit: cur ad arma et rixam procedere patiatur praetor, quos potest sua iurisdictione componere, vt refert VIPIAN. in c. si cuius rei 13. §. sed si 3. D. de usufructu, et quemadmodum quis utatur fruatur.